

bus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinum re ipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, et mandamus.

« § VI. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato. Falsificantes litteras apostolicas : ministros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut hanc pro depositis principis, privataramque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in predictis locis committentes, cujus ratione arca pecunaria ita minatur, ut poenæ ordinariæ locus sit. Conflantes, adulterantes, vel tonderentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, et commercium : vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare præsumentes, ut fraudis concii, atque participes censeri possint : Illos demum, qui sub nomine curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

« § VII. Variae in judiciis, circa rationem probandi delictum, gaudeat, necne, immunitate, opinione referuntur. — Cæterum, cum diurna experientia compertum fuerit, curias ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenierunt, difficiliter probare, et consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earumdem curiarum proxim, et varias pariter opiniones doctorum, qui ante dicti Gregorii prædecessoris mentem, quoad normam, ab ipso prescriptam, recipiendi probationes, et procedendi ad declarationem criminum exceptorum interpretari voluerunt : statuimus, præcipimus, et mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscunque interpretationis ejusdem Gregorianæ constitutionis, quæ a quoconque doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet curiis, aut tribunalibus invectæ, imo nec quarumcunque declarationum, que ab

hujus almæ Urbis Nostræ tribunalibus, sive etiam a congregacione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, immunitati ecclesiastice præpositorum, emanaverint, quatenus præsenti Nostræ constitutione adversentur, sed in occurrentibus casibus normam hic a Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, e sancimus.

« § VIII. *Omnibus rejectis, nava servanda ratio statuitur.* — Quotiescumque igitur curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita, ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitatem ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiastice, ab episcopo deputandæ, procedere teneatur; extractumque ad suos carcères asportari, ac ibi sua tuta custodia detineri cureti, et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo, constet de crimen excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resultant indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum ministris, et officialibus curiæ sæcularis tradere, et consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, in forma juris valida, restituendi extractum ecclesiæ, sub pena excommunicationis latæ sententie, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, et diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertus fuerit, curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

« § IX. *Priuative quoad judices reliquos, sive ecclesiasticos, sive laicos an delicta de exceptis sint declarare episcoporum tantummodo esse decernitur.* — Præterea, considerantes sœpe dictum Gregorium prædecessorem in sua constitutione optimo quidem jure sannisse, ut soli episcopi, et non alii episcopis inferiores, etiam locorum ordinarii sint,

aut nullius diœcesis, aut conservatores a Sede apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, et declarare valeant, an delicta, pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt, et in eis se receperunt, sint necne de genere, ac numero exceptorum : Nos, providam ejusmodi dispositiōnem approbantes, et confirmantes, eique inhærentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium, quibuscumque magistratibus, officialibus, et ministris sæcularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscunque gradus, et conditionis existant, etiam imperiali, regia, ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, districte interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel inquisitos extrahendo a locis immunis, vel declarando crimina, ab eis admissa, esse de exceptis in Gregorianæ, aut in præsenti nostra constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immissent. Quod si secus quidam attentare præsumperint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda, irrita, et inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in censuras, et alias penas a sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, adversus eos, qui jurisdictionem ecclesiasticam quoquo modo ledunt, ac violent, inflictas, incurrire decernimus, et declaramus : volentes, intendentis, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de crimini bus, in Gregorianæ constitutione exceptis, et a Nobis superius explicatis, tam etiam de aliis, quæ in præsenti nostra constitutione adjicienda, et similiter excipienda, duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, et excepiimus ad episcopos, tantum privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat! et donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cætera omnia a Nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos ecclesiæ, vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, et manutendos esse statuimus, præcipimus, et mandamus.

« § X. *Constitutionis hujus observantia episcopis omnibus majorum zelo ipsis proposito, demandatur.* — Universas demum, et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos, quos hujus nostræ constitutionis executores de-

patamus, in visceribus Domini Nostri Jesu Christi hortamur, et paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, et probationum pondus summo studio, ac vigilancia seruentur, omnemque fraudem, et dolum procul arceri satagant; quin etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis constitutionem, ac observantiam quomodo cumque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregorianæ constitutione non exceptis, memores quam acriter semper, et qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine majores nostri pro ecclesiastica libertate, ac immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo, atque constantia tueri current : ab onni tamen tumultu, ac perturbatione carentes, ne jactantæ causa potius, quam miserationis, et justitiae titulo, ecclesiastica privilegia asserere videantur.

« § XI. *Decretum irritans.* — Decernentes easdem litteras præsentes, et in eis contenta quæcumque semper valida, firma, et efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, et inconcussè observari; sive, et non aliter in præmissis per quoscumque ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de Latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios, aliosve quoslibet quavis præminentia, et potestate, fungentes, ac functuros, sublata eis, et eorum cuiilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, ac auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § XII. *Contrarius derogatur.* — Non obstantibus quibuscumque Cancellarie nostræ apostolicæ regulis, necnon quorumcunque prædecessorum nostrorum litteris apostolicis, privilegiis, indullis, et facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, et quavis quantumcumque sublimi dignitate, et auctoritate fulgentibus, et ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis

causis, sub quibusunque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitus clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singularis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda fore, illorum omnium, et singulorum tenores, et occasions, ac alia, etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, hac vice duntaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus.

« § XIII. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilice Principis apostolorum, necon Cancellariæ apostolicae, curia generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari; sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illa concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatum, et personaliter intimate fuissent: utque ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis: et sigillo alicujus personæ, in ecclesiastica dignitate constitute, munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« § XIV. Decretum pœnale. — Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostre voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sep-

tingentesimo vigesimo quinto, sexto idus junii, Pontificatus Nostri anno secundo.

« P. M. Card. Probat. F. Card. Oliverius. Visa de Curia I. G. Archiepisc. Amasenus. Loco + Plumbi. L. Martinetus. Registrata in Secretaria Brevium. » (ADNOTATIO LX.)

§ VI.

DE EFFECTIBUS, FAVORIBUS, ET PRIVILEGIIS IMMUNITATIS ASYLI.

156. *Rei debent recipi in loco sacro.* — Quæritur I. Quosnam effectus, favores, aut privilegia jus asyli pariat reis confugientibus ad ecclesiæ, vel alia loca sacra? Resp. Plures. Patet inductione. Et quidem I. Est, quod debeant in locis sacræ, quo rei confugiant, recipi, nec possint inde repelliri aut excludi. Pignat. tom. II, consult. 4, n. 63; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 274; Delbene, de Immunit. cap. xvi, dub. 48, n. 1, arg. can. *Diffinivit.* 35, et can. *Reum.* 9, cau. 17, q. 4, ubi statuitur, ut « rectores ecclesiæ pacem, et vitam, et membra ejus (rei nempe) obtinere studeant, » quod idem præcipitur c. *Inter alia.* 6, h. t. ibi: « Rectores ecclesiæ sibi obtinere membra, et vitam. » Concordat I. 2 et 3, et I. *Præsent.* 6, c. de His, qui ad ecclesiæ confug. ibi: « Ex his (religionis) locis, eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur. » Ratio est, tum quia tenentur rectores ecclesiæ jura ecclesiæ, ipsiusque immunitatem defendere; ergo hoc ipso non possunt reos illuc confugientes repellere; tum quia eo ipso, quod concedatur reis jus ad ecclesiæ confugiendi, imponitur rectoribus ecclesiæ obligatio eos recipiendi, alias enim si rei pro libitu rectorum possent non recipi, aut etiam recepti iterum repelliri, vel rejici, parum, aut nihil pròdissent reis jus asyli; præsertim si potestas sacerularis extraditionem urgeret, ubi rectoribus ecclesiæ excusatio non superesset dicendo: Non possum, non licet, etc. Licitum est tamen rectoribus ecclesiæ, imo expedit, suadere reis, ut nimis diu non morentur in locis sacris juxta dicenda infra n. 158.

157. *Et de bonis loci sacri sustentari.* — II. Effectus, seu commodum est, quod debet ecclesia, aut alius locus sacer reum de bonis suis sustentare, eique vitæ præbère necessaria, nisi ipse bona propria habeat, aut aliunde a consanguineis v. g. facile ha-

§ VI. DE EFFECTIBUS, FAVORIBUS, ET PRIVILEGIIS IMMUNITATIS ASYLI. 257

bere possit. Abbas. in c. *Inter alia.* 6, h. t. n. 28; Sylvester, §. *Immunitas.* 3, n. 5; Glossa communiter recepta in can. *Diffinivit.* 35, cau. 17, q. 4, §. *Defendatur.* arg. 1. *Præsen.* 6, c. de His, qui ad ecclesiæ confug. Ratio est, tam quia alias indirecte cogeretur reus ad exeundum, et potestati sacerulari se tradendum, aut fame moriendum; sieque rursus eidem non pròdisset jus asyli; tum quia tenentur rectores ecclesiæ conservare rei vitam, et membra, per jura citata n. præced. ergo tenentur vitæ præbère necessaria.

158. *Nisi propria habeant, et facile habere possint. An et quomodo suaderi eis possit, ut discedant.* — « Nisi ipsem bona propria haberet, aut aliunde a consanguineis v. g. facile habere possit, » ut notanter limitatum est n. præced. tali enim in casu de illis, non de ecclesiæ bonis vivere deberet reus, prout citati doctores cum communione aliorum bene advertunt. Imo non potest ecclesia in tali casu eum de bonis suis sustinere, quia male dilapidaret patrimonium Christi, et pauperum. Hinc etiam juxta doctores citatos in casu quo ipse reus nihil habet, nec aliunde quid habere valet, potest cogi ad laborandum, et serviendum in comunitatum ecclesiæ, ut sic expensæ in eum ut de ecclesiæ bonis, quæ non nisi ad causas pias et pauperes erogari possunt, compen-sentur. Atque ne immunitas sit ei occasio otandi, et exinde etiam peccandi, addunt aliqui, et merito non expedire, ut rei propriis destituti mediis diutius morentur in locis sacræ, ne « ipsi per incommodeum ecclesiæ, egentium et pauperum alantur expensis, » ut dicitur citata I. *Præsent.* 6, c. de His, qui ad ecclesiæ confug. Hinc bene possunt rectores ecclesiæ reo suadere, ut discedat, si cognoscunt, quod in alio loco, aut provincia secure, et absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, ut dirigere sine periculo possint; et nisi aliud circumstantia exigant.

159. *Nemo potest impedire, quominus reus in natura necessariis naturæ.* — III. Effectus, seu commodum est, quod nemo prohibere, aut impeditre potest, quominus ad reum in loco asyli existentem deferatur necessarius victus, et vestitus, ipseque reus necessaria requie frui, et naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci exigat) exonerare valeat. Omnes ob clara jura. Et quidem de victu, vestitu, et requie patet ex I. *Præ-*

senti. 6. princ. c. de His, qui ad Eccles. confug. ibi: « Nec patimur in ipsis ecclæ iis reverendis ita quemque delineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. » Ratio est, quæ n. 157. posita, nempe, quia alias indirecte cogeretur ad exeundum, aut moriendum. De exoneratione naturæ aperte patet ex can. *Diffinivit.* 35. cau. 17. q. 4. ubi propter ea triginta passus in circuitu ecclesiæ conceduntur; « qualiter ad requisitæ naturæ usum debitum exeat locis, et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris: » ut ibidem dicitur. Ratio est, quia cum ex una parte conservatio vitæ exigat naturæ exonerationem, ex altera vero eam in se non patiatur reverentia loci, necesse est, extra congruum habere locum. Hinc cum alii bene adserit Haunoldus, tom. VI, tract. 1, n. 238, et 274, necessitatis naturæ causa egressum e loco sacro a potestate sacerulari capi non posse.

160. *Non potest vi extrahi e loco sacro.* — IV. Est, quod reus a loco asyli per vim extrahi, aut abstrahi a nullo possit (nisi commiserit crimen exceptum) onanis. Textus expressus est in cit. can. *Diffinivit.* 35. cau. 17, q. 4, ibi « Nullus audet confugientes ad ecclesiæ, et residentes inde abstrahere, » et c. *Inter alia.* 6. h. t. ibi: « Quantumcumque gravia maleficia perpetraverit (nisi sit de exceptis) non est violenter ab ecclesia extrahendus. » Concordat. I. 2. c. de His, qui ad Eccles. confug. ibi: « Sancimus, nemini licere ad sanctas ecclesiæ confugientes adducere, » et I. *Præsent.* eod.

161. *Potest tamen sponte egredi et extra capi, non tamen in ipsa ecclesia, etsi consentiat.* — Et quamvis possit reus sponte exire, ac permittere, ut egressus capiatur, Pignateli. tom. IX, consult. 2, n. 29; Farinacius, in append. de Immunit. cap. xix, n. 306. cum tunc nec ipsi, nec ecclesiæ fiat injuria. Non ipsi; quia volenti non fit injuria. I. *Cum donationis.* c. de Transact. Non ecclesiæ, quia inde nec violenter extrahitur, nec ibidem capit, quo solo ad præsens videtur, fieri injuria, aut irreverentia loco sacro. Non potest tamen consentire, ut in ecclesia capiatur, aut ex illa trahatur, aut ducatur, neque licita, neque valida est talis extractio aut eductio consentiente reo facta. Farinacius, loc. cit. n. 304. ubi citat Mastrill. consil.

169. lib. II; Decian. in Tract. crimin.; Pi-